

ΠΙΚΡΟΝ ΘΕΟΥ
ΔΩΡΟΝ,

Hoc est:

CLADES EX INCENDIO DIE DOROTHEÆ,
QVI EST FEBRVARI SEXTVS, SALISSÆ
Thuringorum orto accepta, & elegiaco carmine, in publi-
co patriæ luctu, συμπαθείας declarandæ causâ descripta,
anno Epochæ Christianæ M. DC. II. diebus
Bacchanaliorum &c.

Per

M. LEONH. RECHTENBACH, SALTZEN-
sem, S S. Theologiæ studiosum.

περιοχή concionis habitæ 8. die Mens. Feb. Anno M. DC. II.
ex Ieremiæ cap. 17. v. 27.

O Gens SALZ IADVM memori sub pectore conde,
Quas DEVS Ultrici fundit ab ore minas:
Si mea reijcitis tumido conamine iussa,
Nec bona luce bonâ verba sonare placet.
Hem Vestris miserè glomerabo incendia portis;
Comminuam Solymæ tecta; negabo manum,
Et nos contracta Vestigia labis habemus;
Permissos flammis nos ES habemus agros.
Quilibet ergo animo commissæ tadia culpa
Nunc trahat; inuigilet moribus ipse nouis.
IOVA potens, patriæ casus miseratus acerbos,
Auxilio fuerit, subuenietque malis.

αυτογραφως F.

M. Lud. R. D. S.

Lipsiæ, Typis Abrahami Lambergi, Anno 1602.

Hist. Saxon.

H.

361/4

urb. Sax. D. Ag. Papp. No. 6

AMPLISSIMIS, PRV-
DENTIA, CONSILIIS, AVTHORITATE,
 virtuteq; multâ præstantissimis, Dominis, Consulibus, to-
 tiq; inclyto Septemviralis apud Salissinos in Thuringiâ Reipublicæ Se-
 natui, dominis & Mecænatibus suis benevolis, debito officio,
 singulari observantia, fideliqu; pietate colen-
 dissimis.

τὸ ὑγιαίνειν καὶ ἐνπράττειν.

EN vobis, patriæ viri optimates,
 Cultores Themidos, gregis salutē
 Queis curare labor, sacra & voluptas
 Oppressos dubijs malis tueri;
 Demum flammivomi notas pericli,
 Lamentabile Pallados Minervæ
 Et carmen, ferijs Lyæi amaris
 Inter SALTZIADVM graves querelas
 Pridem ortum, fero, confecro, dicoq;.

Nam quando horrisono diu vapore
 SALISSÆ indigenas minax aviri
 Ardor Muliberis timere fecit,
 Erexit pelidus comas & horror;
 Nobis sollicitas fugare curas
 Datum non fuit; his tumultuosis
 Inter viximus anxios pavores
 Diebus; Charites piaculo habebant,
 Melos dulcisonum legi, resingi.
 Divæ Sionides nova Papatus
 Neglecta sobole Esaviticq;
 Konchis, Maonios petunt recessus

lesidæ; recinunt IOBI fidelis
 Lamentas, elegidionq; mostum.
 Sic certè similes parem dolores
 Postcunt sympathian; domusq; nostra
 Vim sentit, paries propinquus æstu
 Cùm primùm incipit obrui corusco.

At non continuò videre Solem
 Hoc, quicquid Libani dedere Nymphæ,
 Sibi præripuit: viris probatum,
 Et lectum Clarijs, subesse tandem
 Multorum usibus impigi è laborat.

Vos, ó SALT-SIACI patres Senatus,
 Vultu suscipite hoc papyri amico,
 Quantivis teneri putate curas
 Vatis, præsidio fovete leni.
 Quin me, summoperè usq; & usq; vestrum
 Amantem redamare percite ipsi,
 Ceu pridem facitis; reciprocata
 Et vestrae pariter recrescet ampla
 Laus famæ comitantibus diobus.

Cursum festo Petri & Pauli F.

V. A. & P. D.

ἄλοφύχως addictus

M. Leonh. Rechtenbach Saltzensis.

ΠΙΚΡΟΝ ΘΕΟΥ ΔΩΡΟΝ,

Hoc est:

CLADES EX INCENDIO DIE DOROTHEÆ,
QUI EST FEBRUARII SEXTVS, SALISSÆ
orto accepta, & elegiaco carmine descripta, anno
Epochæ Christianæ M. DC. II.



Ormidanda nimis Februi lux sexta; lapillo
Exignanda nigro; thure pianda precum.
Ut vidi, ut timui, trepidis vox faucibus hæsit;
Mens mea difficili pressa dolore fugit.

Namq; & inexhaustus diro omine volvitur ignis,
Et properè immisis tollitur aura Notis.
Tollitur aura, omnem complet terroribus urbem,
Damnaq; fumiferis nubibus ampla vehit,
Arduentes jactat summa ad fastigia tædas;
Collucent flammis mœnia; tecta ruunt,
Nec sopita tamen vicinis corpora lectis,
Omnia dejecit sub fera fata necis,
Sed dare cùm multos letho potuisset, acerbam
Septem de cunctis fecit obire diem.
Ecquis ad hæc pariterq; sinum, pariterq; capillos
Dilaniasse neget? tondere corda neget?
Ecquis non stupeat? Lapis est, ferrumq;. I E H O V A B
Ignem de nihilo qui malus esse putat,
Heu quoque nunc monitu tam sævæ lucis, adesum
Cor pavet, ac subitus præpedit ossa tremor.
Fallor! an & quondam Cattorum legifer Heros,
Saltziadis Februi tempore damna dedit?
Saga quòd incultam nudaverat hostibus alvum,
Lascivo ingeminans gutture probra, minas.

ANNO

1747.

A 2

Halsica

A N N O
1506.

Hæcica tùm facibus pubes accingitur atris,
Culinaq; ignitos torquet ad alta globos,
Curia, templa, domus celerem traxere ruinam;
Velluntur saxa saxa, caduntq; strues.
Quin bona pars hominum flammis consumitur; uno
Octingenti octo funere in igne manent.
Sic etiam hyberno sub sidere magna domorum
Copia Saltziadis fracta, retusa fuit.
Vesta rapax summis cum sedibus orta favillas
Ferret, & excidijs obvia quæc; daret.
Formidanda igitur Februi lux sexta; lapillo
Exignanda nigro; thure pianda precum.
Tu mea Musa parùm Mariani pone triumphos;
Innova damna refer; dirige mentis onus.
Iam tùm cæruleâ constringi veste salictum
Cœperat; undi vomis trinsat hirundo locis.
Invia tesqua petunt Cervi, depressa revellunt
Cornua; Romulidæ multa piacula novant.
Turba Dei gaudens sacrato nomine, facta
DOROTHEAB memori voce sonare parat.
Blanda quies somnum noctis pellebat abactæ;
Inq; suum fabros excitat ales opus.
At speculatores diversa ad compita ducti,
Horarum trinos dant, referuntq; sonos,
Continuò indomitæ acies Vulcania surgit
Viribus, & flammæ semina trina vomit.
Hic ubi candentes equa dudum limine primo
Ostendit maculas, hospitiumq; fuit.
Parte aliâ pecudum plateam cognomine dictam
Spectabat: reliquâ STALLIGENIS nocuit.
Antè autem figulis consueta patescit ad ollas
Maxima vendendas area, lene forum.

Illinc,

Illinc, quâ dextrum premitur latus advenienti,
 Excelsum turris jactat ad astra caput.
 Et templum augustum, pictis excisa columnis
 Atria BONFACII ritè subire licet,
 Ipse loci dominus tollit se fortè cubili,
 Immensum cupidâ quid crepet aure notat,
 Et furit ignis; atram glomerat per tecta favillam
 Mulciber; & via vi quæritur, obruitur,
 Hospes ut immisso tremefactus fortiter æstu,
 Nec dare terga fugæ, nec dare posset opem;
 Mens abit, & sanguis; misero spes nulla superstes
 Apparet; summum repputat esse diem,
 Atque etiam certò lux ipsi extrema fuisset,
 Desuper admonitus nî recidisset iners,
 Hospita per medios evadere cogitur ignes;
 Accipit ad rigidas summa pericla fores,
 Profiliunt reliqui passim conclavibus altis,
 Cruraq; diffringunt; damna tremenda ferunt.
 Quid moror? appositas vicinus quilibet ædes
 Committit LEHOVAE nubibus; inde meat,
 Ne malè cunctando sibi fata, necemq; refingat;
 Aut pereat furvis nubibus, igne, metu,
 Deplanxere domos, vestes, optataq; vitæ
 Præsidia: his dicunt voce gemente, VALLE.
 Ante oculos nutat mutatae sortis imago;
 Frigidus arbutis protinus horror adest,
 Formidanda igitur Februi lux sexta; lapillo
 Exignanda nigro; thure pianda precum,
 Interea volitant flammæ undiq; & undiq; fumum
 Stupa vomit; junctas innicit aura domos,
 In tonuere omnes trepidâ formidine cives;
 Incipiunt pavido fundere corde preces:

Io v a citam præfens tuto munimine flammis
 Imponat metam, discutiatq; faces.
 Adferat auxilium; detrudat numine fausto
 Insana Æoliæ murmura, flabra Noti.
 Planctus ad arrectas ex umbrâ pervenit aures;
 Turribus excelsis æra repulsa sonant.
 Luget amica parens natum, natusq; parentem,
 Et thalami consors infemerata virum.
 At puer è cunis properè à genitore remotus
 Ingemit in plateis; Quò pater (euge!) ruis?
 Quò pater (euge!) ruis? Quò me pater (euge!) reponis?
 Mater iò? mater? Iò mea mater ubi es?
 Mater (iò!) si vivis? & ô si me simul optas
 Vivere? Iò redeas? Iò mea mater ubi es?
 Talia qui surdis contemneret auribus? ore
 Talia qui posset commemorare levi?
 Eheu mi! quoties vulgi lamenta recordor,
 Terret inextinctum me cita, mœsta fuga.
 Sæpè aliquis nudo proprijs vix corpore tectis
 Elapsus, flammam inter & hæsit aquas.
 Diffugere occipiens pedibus tremit, abditus errat:
 In toto gelidum pectore frigus habet.
 Hinc neq; pes, neq; lingua juvat, neq; dextera munus
 Exequitur meritum; cuncta tremore labant.
 Et tamen extremò, quia clarior ignis ubiq;
 Affulget, propitius volvitur atq; calor,
 Mens redit, objectas depellere suadet habenas;
 Ire pede invalido, quâ via prona, jubet.
 Non aliter, quàm cum ventis super æquore nauta
 Stratus, in incerto tristia corda gerit.
 Consciis antè maris, nunc quid teneat, fugiatve,
 Nescit, & experto fors fugat artis opus.

Actandem

At tandem redeunt animi, contraq; fluenta
Nititur ambiguae pellere damna necis,
Imponit trepidis alius cervicibus aegram
Matrem, subducit nubibus, atq; rogo.
Ut simul ambobus tanto discrimine par sit
Excidium funus par, vel & una salus.
Defodiuntur opes; cellis committitur aurum;
Ignibus illacrymans caetera linoquit herus.
Implicat exanimis puer hinc se patris amori;
Non aequis ululans passibus insequitur.
Pone subit conjux; properant per opaca locorū;
Quisq; timer comiti; quisq; oneriq; timet.
Est platea egressis tumulus contermina sedes
BONFACII, festâ fronde recincta domus,
Illuc deponunt sobolem, bona maxima; vultu
Attonito reliquum vincier igne vident.
O mihi! quos gemitus, quae flumina larga genarum
Vidimus; ora manu quisq; rigente ferit.
Te precor, altipotens caeli terraeq; dynasta,
Omen idem post hinc longius esse velis.
Formidanda etenim Februi lux sexta; lapillo
Exignanda nigro; thure pianda precum.
Stabat in hospitij medio Rhus, & coriaris
Accepti frutices, stupea fila, bigae.
Rusticus unde hospes tremulis serò incipit annis
Prosperare, atq; sibi dulcia lucra petat,
Sed quoniam fati sic insuperabilis ardor
Volvebat, patriae maxima damna tulit.
Nam pater altitonans iustâ indignatus in irâ,
Et meritum advertens numen ab aethre malis.
Haec subito rapidi conspergit flatibus ignis;
Accendit miseræ limina quaeq; domus.

Fortibus

Fortibus Aeolijs tum concita stupaq; , Rhusq;
 Disijcit appositos, non sine clade, focos.
 Ilicet æstus edax alta ad fastigia ventis
 Tollitur, accensum prævalet atq; jubar.
 Prævalet; anticâ secluso parte meatu,
 Volvitur, exundat per stabula ampla vapor.
 Ac veluti magnas acies Vulcania vires
 Concipit, ignivomas ructat & ore faces:
 Si quando Hippotades conversâ cuspide limen
 Ventorum pandit, flabraq; sæva fremunt,
 Unanimi pariter motu vestigia torquent
 Eurus & ignis; opem ferre, referre solent.
 Sic furit in nostram damnosis flatibus urbem
 Mulciber; ingenti robore ad astra volat,
 Finitimos celeri perfringit lege penates;
 Sævitur inextinctum; nescit habere modum.
 Quin Phrygium patriæ multis consortibus urbis
 Advehit excidium; tecta, laresq; cremat.
 Tum verò involvi piceâ caligine flammis,
 Atq; vapore omnem quisq; putare domum.
 Atra favilla nigro volitabat in aëre; passim
 Callibus ambiguïs fragmina sparsa jacent,
 Scilicet horrificis veluti tonat Aetna ruinis,
 Jugiter Enceladi luce tremente foco:
 Turbine jam subito consurgit ad æthera nubes,
 Flammaramq; globos sidera in alta vehit.
 Jam ructat scopulos, avulsaq; viscera montis
 Erigit; adjunctis saxa remittit agris.
 Sævitur immixtis pariter Vulcanus habenis;
 Inde æther fumis, terra calore gemit,
 Undiq; tectorum sparguntur fragmina; junctas
 Obruit (heu!) properè regula lapsa vias.

Urbs

Urbs tota obscuris detecta patescit in umbris;
 Nos gravis ambustæ frugis adhalat odor.
 Nec tam præcipiti potuissent verbere tela
 Extructum decies appropere scopum:
 Nec toties volucris rapidissima Milvius, ore
 Sollicito in terris exta petita feret:
 Nec iuxtâ positos, cursu festinus anhelò,
 Admonitu domini servus adiret agros:
 Cùm pecudum platea, & vicina palatia POPPI,
 STELLIGENAEq; æstu perdita, fracta cadunt.
 Et licet octonas solùm decademq; domorum
 Intra urbem fatear succubuisse lubens.
 Attamen omne diu convolvi lumine visum
 Oppidum, & ex fundis eruta SALTZA suis.
 Tùm patriam Sodomæ DIVI æquipararier irâ
 Credideras; pulsum tunc Phaëtona polo.
 Parva queror; magnæ saxorum in frustra feruntur
 Moles; intereunt cum grege, gallus, equi.
 Materiamq; suis præbet seges arida flammis;
 Vertitur in cinerem bos gravis, anser, ovis.
 Atria canescunt; labuntur celsa domorum
 Culmina; jam lateres tectâ propinqua petunt.
 Saucia dissiliunt clausæ munimina portæ;
 Velluntur postes cardine, saxa trabe.
 Corripitur fornax omnis; ruit æde fenestra
 Omnis; per nubem fragmina multa volant.
 Quò feror? immensum est absumtas dicere gazas;
 Colliquefacta nequis dinumerare bona.
 Ipse nitens paribus vindex Cyllenius alis,
 Adstitit, & blandâ voce susurra dedit:
 Multa talenta licet, sestertia multaq; sumas,
 Haud tamen exustas rursus habebis opes.

Formidanda adeò Februi lux sexta; lapillo
 Exignanda nigro; thure pianda precum.
 Hæc referens tenuem celerè evanescit in auram,
 Atque tuam luget, patria terra, vicem,
 Conqueror intereà **D E D E K I N D I** fata, gravemq;
 Sanctiloqui mystæ sortem, inopina mala,
 Iamq; propinquabam repetitis cursibus ædes
B O N F A C I I, trepidum luce micante forum.
 Exurgens lecto **D E D E K I N D V S** & ipse per umbram,
 Succendi proprios conspicit igne lares.
 Hinc celerè accelerare fugam jubet; ædibus omnes
 Ire jubet; natos prændit, agitq; manu.
 Et quando ignivomis hinc atq; hinc Vesta lacertis
 Imminet; Ad muros tendite singuli, ait:
 Prædam apportabo libros, & quicquid amicum,
 Reliquias sobolis, pignora & ingenij.
 Fortè sub egressum dantur scalæ, ilicet æstum
 Quis juvat, admotas ac superare faces.
 Tum trepidi infantes caput antevolare favillam
 Senserunt; gravis & comprimit ora vapor.
 Emittunt lacrymas oculis; conscendere muros
 Audent, in medio pariete membra locant.
 Donec inops, pavido trepidans & frigore, nullis
 Cum libris veteri curreret æde pater.
 Namq; ibi succedit soboli; cervicibus ægris
 Imponit; dubijs eripit ipse malis.
 Ceu **L O T H V S** admonitu **I E H O V A E** sua pignora quondã
 Subduxit piceis imbribus, atq; neci.
 Desuper ultrices Sodomem tum perdere flammæ
 Inciperent, caderet sulphur & axe poli,
 Sic etiam **D E D E K I N D V S** opem tulit æde recedens
 Pluribus; effugij triste ministrat iter.

Addunt

Addunt se comites; ducis hem vestigia servant
Vicini; properè per sacra tecta ruunt.
Ne jam lapsantis plateæ fervoribus, umbrâ,
Pulvere, odore, minis funera summa petant,
Aut fingendo moras tremebunda pericla subintrent,
Impositi miseris crure labante rogis.
Vix ita diffugiunt, sejuncta palatia Mystæ
Sanctiloqui subitâ cum face rupta cadunt.
Tunc demum rapido conamine sævijt ignis;
Assumit vires tunc magis atq; vapor
Sive, quòd accensam nobis ostenderet iram
IOVA prophanati sæpè ministerij:
Cujus ob intuitum meriti videamur Averni
Sulphura, jacturam stelliferæq; domus,
Sive, quòd assimili mox lege reposcere verbum,
Aut auferre iterum, ceu sacra tecta, velit.
Sedula cura p̄i præconis, fœnore gaudens
Christiadum, huc retulit scripta beata patrum.
Adfuerant Mosæ præcepta salubria, vatum
Dogmata, bis seni mystica verba gregis.
Nec non Lutheri divina volumina; Brenti
Semina; Vogehus; scripta, Melanchitho, tua.
Cætera doctorum me copia distrahit; omnes
Sacrificos nequeo dinumerare libros.
Quos dudum sibimet magno cumulârat acervo
Sionij HENNINGVS pars celebrata jugi.
Hic Theophylactus fuit, acer & Augustinus;
Quælibet hinc veterum scita sacrata virum,
Hic viguere novi; prisca hinc viguere Poëtæ;
Multi oratores has tenuere domos.
Ex quibus appositas confecerat ipse tabellas,
Succinctum fidei salvificantis opus.

Scilicet ut pueri documenta beata I E H O V A B
 Intuitu possent volvere sæpe brevi.
 Atq; Catechesin, vulgi sacra Biblia, fixam
 Ante oculos, memoret mater amica suis.
 Sed pariter flammis abeunt, vertuntur in auras,
 Mulciberis nequeunt exuperare minas.
 Hic dolor! Hic planctus! redimenda hæc damna per aurū!
 Negligere ingenij pignora nemo solet.
 Hem fera flamma sacros cur nil reverere libellos?
 Quæ ratio tantas perdere suasit opes?
 Antehac flammivomo sonitu cùm præfulis ædes
 Conciderent, fulvo & lumine operta forent:
 Noxia Romani fuit hîc spelunca latronis,
 Fœdaq; rasorum vertice tecta suum.
 Non hîc divini mysteria cœlica verbi;
 Non hîc fatidici dulcîa metra chori.
 Impia regnabant Latij documenta Papatus;
 Pro I E H O V A M A R I A M VOCE vocare labor,
 At pater H E N N I N G V S sanctum vestigia lustrans
 Majorum, votis talibus abstinuit.
 Vera animi pietas, sincera fides, Solymæq;
 Germîna delectant, astricolæq; monent.
 Hactenus adsidue Iordanida præbuit undam;
 Commissum dîo nutrit amne gregem.
 Eruit ex Libano pugnancia dogmata veris
 Legibus; arrecta crimina cavît ope.
 Pectore sollicito Martini scita ministrat,
 Vellit & hinc Cingli semina; at inde Papæ.
 O verè infaustos D E D E K I N D I Saxonis ausus!
 Quàm dirâ patrios sorte adijstis agros?
 Digni etenim seros longè durare per annos,
 Heu miserè lapsu percelerî ruitis!

A N N O
 1506.

Nec

Nec bene servatam potuistis tangere metam; (ido) rignel
 Deicitur magnâ spe veneranda cohors,
 O genus infelix hominum! & metuenda I E H O V A E
 Numina! Quis superum liber ab igne foret?
 Formidanda adeo Februi lux sexta; lapillo
 Exignanda nigro; thure pianda precum.
 Hem bona vota pijs D E D E K I N D I reddita tectis;
 Pervigil ætheriæ religionis amor;
 Munera Christiados Solymæo insignia cultu;
 Pignora & ingenij moribus apta sacris;
 Nec non lætæ modulamina condita plectro;
 Indomitas contra nil valuere faces.
 Omnia subjectis acies Vulcania perdit
 Flatibus; in cinerem mystica sella venit.
 Sed tamen in cinerem redigi, penitusq; resolvi
 Alma Dei bonitas, igne ruente, nequit.
 Ecce L O T H V S medio D I V I sermone periclo
 Firmatus tenuis possidet antra Zohar.
 Cùm malè deflectens iussis cœlestibus uxor,
 Sumeret attonito corpore signa salis.
 Testis adest vario discrimine notus Iobab,
 Cui D e v s æquus erat, fors ut iniqua nimis.
 Increpat Assyrios, verbis deludit amicis,
 Rebus in adversis hos dedit ore sonos:
 Nudus ego egressus fœcundæ matris ab alvo,
 Attuli in hunc mundum nil nisi corpus iners,
 Nudus ego tandem mundi confinia linquam,
 Nil de divitis omnibus inde feram.
 Ipse potens rerum Dominus mihi singula pridem,
 Quæ tenui, placidâ munera mente dedit,
 Hæc eadem rursus Dominus nunc abstulit, æquo
 Iure sibi reddi quæ dedit antè, petit.

Iugiter (oh!) Domini benedictum nomen in orbe;
Gloria sceptrigero sit super astra Patri.
Sic quæ perdiderant flammisq; armisq; feroces
Chaldæi, Assyrij, pestifer atq; Notus:
Iovæ pari lobo, majori aut fœnore reddit;
Præsidium excidio contribuisse parat.
Uscq; adeo nostris præsentem adesse periculis
Consuevit; medijs sublevari ipse malis.
Ut quondam pueri Danielis in arte celebres,
Iacobeæ fidei flos, pietatis honor,
Ignibus impostum extimere minaces
Flammas; innocuo mox pede fata premunt.
Haud secus & nuper servantur in ignibus atris,
Subsidio aligerum, vir mulierq; puer.
Nam quia collapsis via quolibet obruta portis,
Præripit effugij spem, fera damna rotat:
Attonito gelidus prorumpit corpore sudor;
Exanimis tepido procubere solo.
Hortus adest; rami prædulcia poma ferentes,
Undiq; post patria mœnia lata patent.
Illic se abdiderant gemebundo pectore, certâ
Illic ante obitum se requiescere levant.
Illic æthereus genitor munimine firmat
Angelico; nubes teppulit, atq; faces.
Quilibet ut tanto discrimine tutus abiret,
Nec junctum arriperent fragmina sparsa latus,
Quodq; magis mirum, subitâ vertigine flamma
Fertur ad amotas longius urbe domos.
Non muri impedunt; non interjecta viarum
Indicia, aut horti, fossa nec alta, lacus.
Pauperis hemi tuguri contectum stramine culmen,
Immune accenso ritè calore fuit.

At

At quæ coctilibus fastigia structa lapillis,
 Ignem suscipiunt, mota vapore labant.
 Formidanda adeo Februi lux sexta; querendis
 Exignanda nouis; thure pianda precum,
 Provocat interea liquido jubar æthere Phoebus,
 Exit & Eois Lucifer almus aquis.
 Undique procedunt domibus juvenesq; lenesq;
 Noctis & emerit & visere damna volunt.
 Saxea mirantur concussis pondera terris,
 Strataq; per longas fragmina multa vias,
 Atria tum quidam sublimibus alta columnis
 Desset & HENNINGI fata sinistra dolet.
 De veteri, queritur, superest quod nulla supellex:
 Congemuit innumerum cernit ut igne pecus,
 Fluctuat hic alius turbato pectore, vultum
 Concutit, & trepido taliter ore refert:
 Quid pecora, aut gazas? quid celsa palatia, & aurum
 Lugetis? mea mens tristius omen alit.
 Det meliora Deus, mea nec sint omina vera:
 Auguro extinctos igne nocente viros.
 Obstupere omnes; vocemq; introrsus obortam
 Congelat ipse tremor; corpore sanguis abit.
 Poplite mox tacitorimantur quæq; domorum
 Abdita; depressos sorte levare monent.
 Non tamen ulla prius reperiri funera possunt,
 Quam ventum HENNINGI mystica tecta patris.
 Tunc aliquis rapido subiens cellaria passu,
 Sentit adesse homines; clamat adesse homines.
 Accurrunt alij properes; dira omina justis
 Fletibus excipiunt; corda timore tremunt.
 Eheu me miserum, qui tot fera funera cogor
 Pandere; me dubium copia tanta facit.

Diffugit; heu nimio mens concidit acta dolore;
 Heu nunc bis medio perstitit ore sonus!
 Terq; quaterq; manu pia tundite pectora; vestes
 Scindite; septenam volvite corde necem.
 En jacet umbroso cellæ sub limine mater,
 GUTBERO anteriùs foedere juncta tori.
 Ponè sedet, placido genitricis ducta favore,
 Illius infaufti nata quaterna patris.
 SENCIENTALERI deseratq; filia Mystæ,
 Et famula hospitij, quod priùs arsit, iners.
 Has pariter tenebræ, caligo, funus, & ignis
 Transadigunt; perimunt; falce furente metunt.
 Eripiunt mundo; ferali cæde trucidant,
 Nulla ut posteriùs fundere dicta queant.
 Sed non deiciunt sanctorum ex ordine, CHRISTI
 Dextrâ, sidereæ commoditate domus.
 Liberæ ab indomiti technis fallacibus orbis,
 Enthea perpetuæ gaudia sedis habent.
 Unanimiq; sono. I D H O V A M super astra celebrant,
 Eventum innumeris qui tulit ipse malis.
 Casta parens soboli paulò metuentior, ambas
 Explicat ancipiti fortè dolore manus.
 Dumq; irahit vitam, corpus refovetq;, fovetq;
 Oscula dat; natas ad pia corda premit.
 Nec tam cura fuit proprium defendere fumo
 Guttur; inextinctus posteritatis amor.
 Sic adeò natura potens moderamine matres
 Sanguinis invictò ducit, & usq; tenet.
 Quò res cunq; cadunt, sobolem superesse perenni
 Exoptant voto: nil sua fata timent.
 At mala natarum dispellunt funera semper;
 Longius (oh!) natas vivere, dulce putant.

Et quis

Et quis ad interitum dilecti pignoris aulu
Obscœno annueret? quis fera damna probet?
Sævior) heu!) multò est, quàm Colchide nata Medea;
Aut quoque Sionijs Atthalia orta jugis.
Quarum prima novo puerorum sparsa cruore;
Altera Davidici germina vellit agri.
Hinc etiam natæ genitricis amore trahuntur
A Eternùm; nec post cedere fata volunt,
Hæret in amplexu matris postrema diebus
Filia; pro tumulo sentit adesse sinum,
Molliter ast aliæ materno incumbere dorso
Visuntur; collo brachia fessa locant.
Ut solet ad Milvi gyrum prænuncius ales
Auroræ, timido vertere terga pede,
Una salus fidæ genitricis tangere pennas;
Sub tenues alas condier una salus.
Formidanda igitur Februi lux sexta; lapillo
Exignanda nigro; thure pianda precum.
Unstridos intonuere Deæ, velut igne Tonantis
Ictæ profusis fletibus ora rigant.
Dum pia Saltziadum gens putrida membra pherethro
Portat, & obliquo contegit ossa cado,
Plurimus intereà matrum, juvenumq; senumq;
Ordo, per appositos taliter instat agros:
Eja agè regnator cœli, moderator & orbis,
Cujus ab auspicio quæq; creata nitent;
De nobis meritas vindex cum sanguine pœnas
Sumlisti; inferni jure sub antra trahis.
Crebrò etenim legis sacrata volumina sanctæ
Transgressis, dirum procidit ore nefas.
Pluraq; sunt hujus commissa piacula vitæ,
Quàm vel arenoso littore pulvis adest.


Impia

Impia sacrilegum prensantes foedera, iusti
 Ofores fuimus, nequitiaeq; duces.
 Sed quia nunc manibus I O V A M optat quisq; supinis,
 Et prece sollicita te meliora petit.
 Neu sine diducto scelerum sub gurgite mergi;
 Da veniam; populi jam miseresce tui.
 Sis bonus & facilis; requiem concede precanti;
 Eripe Christigenas tristibus (euge!) malis.
 Tristibus (euge!) malis dextro munimine serva;
 Protinus exertos conde, reconde globos.
 Et tibi perpetuo solvent pia pectora grates;
 Iugiter aethereum nomen in orbe vehent.
 Fallor ego! pictos demissa ex aethre per arcus
 Iris, an adventu nos levat ipsa suo?
 Haud fallor: Nitido curvamine roscida proles
 Iunonis, D I V I coepta benigna probat.
 Ne male desperent homines fluitante periclo,
 At I E H O V A M dubijs rebus adesse sciant.
 Ipse etiam nostras tanto certamine sedes
 Firmavit; rapidas depulit urbe faces.
 Ac modo posteriùs praecpta beata secuti,
 Mente pia fugimus turpia facta, scelus.
 Angelicis praesens tutabitur undique turmis;
 Noxia diffugient damna; virescet ager.
 Donec magna dies, extremaq; linea rerum,
 Proferat ardentem lampada, cuncta voret,
 Oh durate boni; crescit fiducia duris;
 Nec mala quae fuerat lux, mala semper erit.
 Crede mihi, toto non errat fulmen in anno:
 Post hiemis glaciem tempora veris eunt.
 Ensiser auspicium Dux lene benigniter addit
 Omnibus; auxilio quosq; juvare solet.

Ergo

Ergo etiam vestris placidam nunc fortibus auram
Iunget; Munificâ damna rependet ope,
Ut parili I o b v s, duplicatâ aut lege receptat
Singula, natorum spem, pecora, arva, domos:
Sic nihil ex omni vobis deperditur auro,
Quod non I o v A iterum suppeditare queat.





Faint, illegible text or markings on the cover, possibly a title or author name.

